

## 95.

*Papst Innocenz III. beauftragt den Erzbischof von Salzburg und den Abt von Admont, sowie den Dekan von Gurk, die Ehestreitigkeiten des Königs Otakar I. von Böhmen zu untersuchen, welcher nach achtzehnjähriger Ehe Adela, die Schwester des Markgrafen Dietrich von Meissen, verstoßen und die Schwester des Königs Andreas von Ungarn geheirathet, dann Reue empfunden, sich aber doch nicht gebessert hat.*

**Rom (St. Peter), 1206 April 26.**

*Hdschr.: Reg. No. 7 fol. 84<sup>b</sup> No. 60. Vatikan. Archiv.*

*Gedr.: Bréquigny, Ep. Innoc. III.; ed. Migne 2,872. Potthast 2762. Böhmer-Ficker 5962.*

Salzburgensi archiepiscopo et . . abbati Admuntensi Salzburgensis diocesis et . .  
 decano Gurensi. Ex parte dilecti filii nobilis viri . . marchionis Misnensis et A[dele] sororis 10  
 ipsius nostris est auribus intimatum, quod, cum karissimus in Christo filius noster . . Boemie  
 rex illustris ipsam A[delam] duxisset legitime in uxorem ac eam decem et octo annis et  
 velut uxorem legitimam pertractasset filiis et filiabus ex ea susceptis, tandem suadente  
 amplius humani generis inimico illam a suo consortio separavit et venerabilis filius noster . .  
 Pragensis episcopus habito quorundam prelatorum consilio in quodam monasterio, ad 15  
 petitionem et mandatum ipsius regis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis  
 proponeret rationes, militibus eiusdem regis prohibentibus bis vel ter ingressum eidem,  
 et ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita sententiam inter eos  
 divortii non est veritus promulgare, ac demum ipse rex quandam aliam . . sororem videlicet  
 karissimi in Christo filii nostri A[ndree] nunc regis Vngarie superduxit. Super hoc autem 20  
 cum ad nos querimonia devenisset, causam ipsam venerabili fratri nostro Alberstatensi  
 episcopo et coniudicibus eius duximus committendam, qui postmodum eandem causam  
 instructam ad nostram presentiam remiserunt. Cum denuo tibi fratri . . Salzburgensi  
 et bone memorie . . Maideburgensi archiepiscopo et dilecto filio . . preposito Romano  
 causam commissemus eandem, ipsi prefatum regem propter idem negotium citaverunt. 25  
 Sed quoniam idem rex nuntios eorum, ut asseritur, fecit inhoneste tractari, ipsi non pro-  
 cesserunt amplius super causa. Interea vero prefatus rex correctus a domino, sicut  
 dicitur, et magna contra ipsum adversitate surgente reversus ad semet ipsum, dixisse  
 proponitur: Merito hec patior, quia legitimam uxorem meam sine causa dimisi et propter  
 hoc filios meos filiasque confudi; cumque reatum suum taliter recognosceret, convocatis 30  
 maioribus terre sue, nichilominus etiam liberis et ministerialibus fratris eiusdem uxoris  
 sue, iuravit ipse fecitque iurari per suos, quod superinductam expelleret ac legitimam  
 revocaret, quod postmodum non implevit, licet illud per litteras signatas sigillo proprio  
 confirmarit. Quamvis igitur ex apostolice servitutis officio simus omnibus in iustitia  
 debitores, volentes tamen ita predictorum marchionis et sororis ipsius iustas petitiones 35  
 admittere, ut prefatorum regis Boemie ac sororis regis Vngarie iustitiam non ledamus,  
 discretionis vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus ad diem  
 et locum partibus competentem vocatis coram vobis, quos videritis evocandos in ipso  
 negotio, mediante iustitia usque ad calculum definitive sententie sublato appellationis